

stitia, dolor, studia, meditationes profunda atque continuata, vigiliae &c: sicuti est contrario animus tranquillus ac pacatus curisque ac rerum altiorum gerendarum sollicitudine vacuus, citius obesitatem admittit, ceu de rusticis ac plebejis obesis in precedentibus mentionem fecimus.

Succedit his etiam amor & veneris exercitium, quod si modicum est vel plane intermittitur, citius inter alia adminicula ansa obesitati relinquitur. Quod verò eos, qui perditè amant, imprimis si macilenti sint, perditio & macies major sequatur ac persequatur, autorum testimonia vel sententiae comprobant, de quo *Werner: l. a. p. 220.* aliique plures autores agunt. Aliàs etiam constat, quòd eunuchi & evirata animalia citius pingvescant, quàm quæ vires suas impensè in veneris exercitio collocant: veluti lasciva capella & hircus non admodum saginationem admittunt. Hinc obesi notam & causam secum circumferunt, quòd ad generationem segnes & saepe inhabiles sint, de quo plura in superioribus attigimus. Annotarunt itidem autores, quòd hirci non ita ad lasciviam proni ac habiles deprehendantur, quando nimium pingves evadunt.

Inter causas obesitatis recensent etiam aliqui, si evacuationes ordinariae, scilicet menses in mulieribus suppressi sint, de quo *Jonstonus in Idea med: pract: l. 10. p. 647.* Notæ etiam mihi sunt mulieres obesa, quæ patiuntur communiter ferè tempore consveto menstruum suum fluxum. Alii statuunt item, quòd hæmorrhoides suppressæ pariter obesitati ansam præbeant; sed recordor etiam viri bonò vel crassò corporis habitu præditi, qui prius hæmorrhoidum fluxu, postea mictione cruentâ laborabat. In sequentibus etiam annotabitur, quòd venæsectio obesitatis ansam quibusdam soleat suppeditare. Inter quaspiam adductas obesitatis causas accusat etiam *Fallopianus l. a. cap. 4. p. 330.* vasorum angustiam, quòd non multa congeries sanguinis in venis fieri possit, unde necesse sit, ut extrudatur extra venas.

Quia innotuit etiam nobis sequens, id celare noluimus, si forsitan veri quid huic subesse aliquando comprobet experientia,